

Disputatio medica de oedematis natura & cura ... / respondente Carolo Friderico Luthero.

Contributors

Luther, Carl Friedrich, 1663-1744.
Pauli, Johann Wilhelm, 1658-1723.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Literis Johannis Georgii, [1685]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c5jsuy99>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

4

DISPUTATIO MEDICA

De

OEDEMATIS

NATURA & CURA,

Quam

Gratiosiss. Facultate Medica

Indulgente

Pro

L O C O

In Eâdem suô tempore ob-
tinendô

Ad diem 5. Jun. A. C. M. DC. LXXXV.

Publicè ventilandam sistit

JOH. GUILIELMUS PAULI

Lips. Phil. & Med. Doct.

RESPONDENTE

CAROLO FRIDERICO LUTHERO,

Vrat. Siles.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ.

Literis JOHANNIS GEORGI,

DISTRICT OF COLUMBIA

OFFICE OF THE DISTRICT CLERK

AND

RECORDS

OF THE

DISTRICT OF COLUMBIA

AND

OFFICE OF THE DISTRICT CLERK

AND

RECORDS

OF THE

DISTRICT OF COLUMBIA

AND

OFFICE OF THE DISTRICT CLERK



B. C. D.

PRÆLOQUIUM.



Vi Humorū in Corpore nostrō vivente absolvitur Circulus, obeundis ritè partium solidarum actionibus adeò requiritur necessarius, ut statim ac ille quocunq̄ve turbatur modò, varia in his læsionum exsurgant genera. Quotidiè hoc in morbis observare est internis non minùs ac externis, ceu in quorum plerisque Humorū Motus aut primariò, aut secundariò ad minimum, existit vitiatus. Sic etiamsi v. g. Catarrhi ab irritante quòdam proximè inferantur, subsequētis nihilo-minùs fibrillarum crispaturæ occasione mox ab impedito lymphæ concomitantur motu. Sed quò vitium tale magis, primarium in medium afferatur, exempli loco è Tumorū nonnullis (Humoralibus quoq̄ve propterea appellatis, quod eosdem humor quidam stagnans, i. e. in motu suò impeditus, tanquam Causa Materialis proxima constituat) unicum denominasse Oedema sufficiat, Disputatione præsentis sub duplici capite pluribus ita ventilandum, ut in primò Theoreticò Natura, in alterò verò Practicò ejusdem Cura cuius patefcatur.

Faxit DEUS Opt. Max. Feliciter!

Caput I. THEORETICUM.

§. 1.

Quoniam *Oedema* suæ intuitu originis, quam Græciæ ἀπὸ τῆς οἰδέως, i. e. tumere seu inflari debet, Tumorem quemvis in genere morbosum Hippocrati significet, temporis nihilominus successu apud Medicos obtinuit & adhuc obtinet usus, ut specialem magis ac partialem in corpore nostro Extuberantiam præternaturalem exprimat sequenti circumscriptam definitione: *Tumor est Humoralis, albicans, mollis digitisq; ita cedens ut horum vestigia retineat aliquamdiu impressa, calore nullo, nec dolore, aut saltem paulisper tensivo, molestus, in cute alicubi ac partibus subcutaneis à crassioribus seri moleculis intra poros istarum nimium coacervatis excitatus.*

§. 2.

Generis hic proximi locum *Humoralis* sibi vindicat *Tumor*, eò, quod œdematosa extuberatio talem in parte quâdam corporis auctam designet magnitudinem, ad cuius post partum productionem Humor proximè facit, non Flatus, nec solidioris alicujus partis in alteram Decubitus, nec Res etiam quædam totò genere præternaturam, aliis aliàs tumorum speciebus progenerandis, v. g. Tympanitidi, Herniis variis, diversis Luxationibus, it. tumoribus calculosis, pilosis, verminosis &c. inservientes, à quibus *Oedema* tamen per datum oppidò discrepat genus, velut iis solummodò Extumescentiis, quas humor pariter quidam procreat, commune, e. g. Inflammationi, Erysipelati, Scirrho &c.

§. 3.

Specificam verò *Differentiam* *Oedemati*, quâ ab humoralibus etiam istis discernatur tumoribus, conciliant: primò *Qualitates* quatuor in œdemate sensibiles, instar proprietatum ipsi essentialium sese habentes; deinde *Subjectum*, ac *Causa* deniq; *Continens*; quæ singula quidem nunc eòdem quoque ordine essent enucleanda, sed cum scrutinium essentialium œdemati adjunctorum, subjecti ejusdem ac causæ supponat præcognitionem, ab horum potius perlustratione initium licebit desumere.

§. 4.

Subiectum equidem Oedematis in genere *ipectatum* occurrit duplex : *inbasionis alterum, alterum radicationis* ; quorum tamen illud solùm, quia adæquatum, in definitione expressum, hoc verò in §. 9. etiam denominandum. *Inbasionis scilicet subiectum, seu pars in œdemate affecta adæquata, Cutis partesq̄, existunt subcutaneæ*: ita quidem, ut in Cute tertiam cūprimis ejus laminam, præter omnis generis vascula ex tendineis fibris glandulisque interspersis contextam ac recentissimè à *Bidloo Anatom. Corpor. Human. Tab. 4.* per opticum instrumentum nitidè depictam, affici statuam; è subcutaneis verò partibus, pinguedinem musculosque, tam subcutaneos, quàm alios κατ' ἐξοχήν sic dictos cum membranis suis pati eò lubentius existimem, quod *Excell. Dn. Meibomium Helmstadii in Dissertatione quâdam de Tumoribus pedum sub Umbone Ejus A. 79. habitâ*, sectionis ope deprehendisse videam, humorem in pedibus œdematosum non sub cute tantùm, sed & sub membranâ musculorum, & in ipsis quoque musculis, solitò laxioribus, habere sedem.

S. 5.

Sed dubium extemplò hîc sese sistit, annon internæ quoque corporis partes ab œdematoso interdum affligantur tumore? & ut verum fatear, non adeò aberrare videtur *Fabricius ab Aquapendente* in partibus internis ac externis œdemata oriri *Oper. Chirurg. p. m. 32.* scribens ; etenim quàmvis rariores hîc, si ullæ, Autorum œdemata interna enarrantium prostent observationes, probè tamen si consideretur, constitutionem scirrhosam, quæ interna sæpius vexat viscera, æque à ferò ac œdema, magis saltem coagulatio proficisci, vix absolum erit suspicari fortassis œdematosam internè aliquandò priùs subesse habitudinem, quàm perfectus ibi gignatur scirrhus : nihilominùs cùm interna talia œdemata omnem Medici eludant explorationem, in tradendo œdematis subiectò ad externum malui respicere tanquam tale, de quò Medici & Chirurgi unicè ferè solent disquirere. Interim si quod subiectum œdemati utriusque commune à me veniret exhibendum, illud commodè per fibrosas simpliciter & glandulosas partes ubivis describerem obvias,

De cætero cutim ac partes subcutaneas magis, quam alias partes esse commodas, ut ab œdematosô occupentur tumore, præter Autopsiam modò §. 4. confirmatam, ipsa earundem apta conformatio aptusque satis persvadent situs: Cum enim hujus respectu incumbentis Atmosphæræ attackui quandoque satis injurioso maximè sint expositæ, ratione autem illius à minoribus longè irrigentur arteriolis, quàm quarum interdum pulsus lymphæ ad vascula sua crystallina urgendæ ac protrudendæ sufficiat, utroque sanè modò facilius hîc, quam alibi lymphæ refluxui objici remoram & per consequens œdema introduci elucescit.

Quinimò ex consideratô partium situ clarum quoque evadit, cur pedibus præ partibus aliis œdemati frequentius sint obnoxii, adeò, ut nonnulli statim ac erectam corporis posituram plus debitò continuant noctisque præsertim tempore sedentes somnum capiunt, pedum ejusmodi incurrant tumores. Supposito enim, ceu verissimè à *Borello de Mot. Animal. Part. 2. Cap. 5.* monstratô, magnam Cordis musculosi pro sangvinis pulsu requiri virtutem ad eam, quæ in vasis jam dum propter sangvinem ibi existentem deprehenditur, exsuperandam renitentiam. Quod si itaque quacunque ex causâ hanc cordis quodammodò vim contingat immiui, prout somni etiam tempore accidit, ratione duplicis effectus, qui sangvinis quoad motum in verticali corporis situ sequi ferè debet, dum primò quidem sangvis arteriosus propriò haud difficulter pondere inferiora versus ruit, dein tamem venosus propter eandem gravitatem difficilius longè ascendit, perquam prompta seri crassioris intra pedum poros habebitur collectio, i. e. tumor formaliter œdematosus.

In eò quippe consistit ratio, quâ subjectum œdematis in genere afficitur, ut pori ejus sive interstitia, vel fibras inter, vel glandulas relicta, à continente plus debitò distendantur causâ, undè ad proportionem, quâ hæc ibi coacervatur, tumor ipse œdematosus vel major evadit, vel minor. Minus proin necesse est, ut in omni semper Oedemate Cutis æque ac omnes partes subcutaneæ simul patian-

patiantur, cum sola nonnunquam cutis, ubi Oedema non adeò profundum affligit, nec nimis diffusum, videatur sufficere. Neq; frustra in definitione pars affecta particulâ alicubi fuit limitata, quia si cutis secundum totam, aut saltem maximam sui peripheriam in mollem ejusmodi elevetur extuberantiam non Oedema amplius, sed Leucophlegmatia potius salutatur Practicis.

§. 9.

Radicationis autem *subjectum*, seu ea affecta pars, in quâ antecedens Oedematis causa velut delitescit sopita ipsa videtur *Massa sanguinea*, unicus ille in corpore nostrò Humor universalis, qui à cordis impulsu ad omnes corporis viventis partes tam internas quàm externas, continuò vibratus hisce illaudabiles pariter, si adsint, ac laudabiles simul adportat particulas, in tumore nostrò ita constitutus, ut serosæ ejus massulæ vel plus justò abundant, vel præternaturali etiam plus minus viscidâ gaudeant crassitie, è causis quemadmodum mox evolvendis uberius constabit.

§. 10

In definitione siquidem *proxima* & *continens causa crassiores feri* subinnuntur *moleculæ* intra partis affectæ poros nimium coacervatæ, sive crassities ejusmodi his naturalis magis fuerit, sive præternaturalis. Est videlicet serum altera integralis Massæ Sanguineæ pars, in quam & cruorem hæc sibi relicta spontè sua, vel in tubulis vitreis setâ haud crassioribus annotante *Antoniò de Heide Anatom. Mytul. p. 175.* facescit, ratione texturæ suæ ex particulis magnitudinè ac figurâ differentibus, sensibilibus sub aquâ & gelatina comprehensis, conflata. Candelæ enim ardentis flammæ in cochleari expositum serum aqueam exhalare portionem, gelatinosam verò servare restitantiem, notissimum. Jam uti feri crassitiem naturalem eam dico, quam particulis suis gelatinosis benè se habentibus, decentique sub proportione aqueæ parti combinatis, refert acceptam; ita ex opposito præternaturalem ejus crassitiem voco istam, quam à particulis chyli crudioribus plus minus pituitosis ac viscidis, digestionis primæ culpa enatis, adipiscitur. Quibuscunque itaque ex crassioribus his feri moleculis, sive naturalibus sive præternaturalibus, in partium externarum poris stagnare ac modò successivè, modò repentiè coacervari ibi datum est, continens tumoris œdematosi

matosi eo ipso evadunt causa, quod nimium coacervatæ totam loci affecti dimensionem reddant auctiorem.

§. 11.

Cognita hucusq; continente oedematis causâ, *serum idem in vasis adhuc fluctuans causa antecedentis* habebit rationem tantò magis, quantò vel copia ejus adest major, vel consistentia crassior. Sicut namque alias ea feri ad cruorem in corpore nostro est proportio, ut hujus quantitas decies ad minimum ab illò. *Excell. nostrò D. D. Bobnio Act. Erud. Lips. A. 1682. p. 127.* accuratè ostendente, excedatur; ita si pondus hoc, respectu vel ad rubicundam sanguinis partem, vel totum etiam corpus habito, notabile sui capiat incrementum, serum tunc gelatinæ suæ simul auctæ intuitu efformando œdemati admodum redditur dispositum. Nihilominus præter hanc feri quantitatem, & consistentiam ejus præternaturaliter crassiorem œdemati producendo sufficere, Cachectici pituitosi, Senes ac Mulieres, suo quotidie testantur exemplo, utpote qui fere ratione crassioris feri frequentius quam alii, tumoribus ejusmodi deprehenduntur succumbere.

§. 12.

Causa autem Procatartica omnes, moventes serum, quò continens Oedematis exsurgat causa, in genere quidem feri adjuvant stagnationem, attamen in specie earum aliæ in vasa magis, aliæ in locum affectum, aliæ denique immediate in serum ipsum suas exerunt operationes. Primum in vasa, serum à partibus reverentia, tam venosa quam lymphatica operantur cuncta, quæ ab extra ista comprimunt, comprimendoque efficiunt, ut serum vel ultrà pergere impotens vel vasa quoque lymphatica disrumpens, in poris copiosè detineatur partium, v. g. Uterus ingravidatus tali vasorum compressione ultimis gestationis mensibus œdematosos in gravidis inferens pedes. Huc itidem spectare videntur luxationes &c. œdematosis interdum extuberantiis, Autore Richardo Wiseman in the severall Chirurgicall Treatises p. 81. pariter ansam supeditantes.

§. 13.

Deinde in locum hic affectum Causæ occasionales agunt eæ, quæ vel fibras ejus stringere, vel laxare valent: priori enim modo serum partis interstitiis velut infigitur, posteriori verò fibræ particulis

eulis serosis ad vascula sua propellendis redduntur ineptæ. Illud contingit maximè in doloribus, v.g. podagræ dictæ vulgò frigidæ, it. vulnerum &c. hoc autem in Inflammationibus, Contusionibus &c. quando his œdemata nonnunquàm succedunt, evenire videtur; quinimò à tali fibrarum laxitate petenda ratio, cur eadem loca, quæ semel œdema fuerunt passâ, levi data occasione denuò ab hõc affligantur.

§. 14.

Tandem immediatè afficiunt serum occasiones, quæcunq̃ue hujus vel abundantix, vel crassitie præbent ansam, sive sex rerum nonnaturalium, sive præternaturalium accensendæ veniant classi. Sic rebus nonnaturalibus admunerantur: primò Aer humidior & frigidior, quorum ille seri non saltem quodammodò adauget copiam, sed & consistentiam ejus magis inspissat unà cum frigidiori habitum quoq̃ue corporis multum vellicante. Hinc Alimenta solida æque ac fluida, vel in nimiâ assumpta copiâ, vel crassiora etiam, viscida & acida &c. deglutita. Tum Quietis ac Somni excessus, humorum retardandò circulum, crassitiem sero præternaturalem inducens. Porro Excreta & Retenta, v.g. Urinæ in renibus secretio imminuta, it. in mulieribus menstrua suppressâ. Ex Animi deniq̃ue Affectibus Tristitia imprimis, Timor ac Terror &c. qui singuli figendò spiritus humores in motu magis lentos & in crasi plus minus crassos efficiunt.

§. 15.

Inter res autem præternaturales agmen quasi ducit depravata alimentorum in Ventriculo digestio talis, quæ ad pituitosam, vel acidam quoq̃, dictam vergit cruditatem, Cacochymix pituitosæ, à quâ Cachexia similis hic pariter consideranda, mater genuina. Hinc Phthisis diuturnior adest, pulmonum exulceratorum occasione variis heterogeneousitatibus inquinans serum. Febres demum tam acutæ, quàm chronicæ se offerunt, crasin Mæ Sæ ita turbantes, ut curatas easdem œdematosi nonnunquàm crurum sequantur tumores, idq̃ eò facilius, quò liberiùs ægri reconualescentes suo denuò indulgent genio &c.

§. 16.

Perlustratis ita hætenus subjectõ œdematis atq̃ue causis, ad

quatuor adjuncta ipsi essentialia, cognitu nunc facilia, reverti licebit : horum primum *albicans est color* a sero ipsò crassiori in tertia cutis laminâ contentò, partim ratione proprii coloris, partim & ratione impediti sangvinis versus corpus cutis reticulare influxûs, conciliatus. Alterum *mollities* determinata cernitur, talis videlicet, *quæ digitis cedit, & horum vestigia aliquamdiu ostendit impressa*, antequam ad pristinum redeat seu resiliat statum, à crassioribus pariter seri exorta particulis debiliori instructis elatere, quàm ut è momentò quasi priorem reassumere queant locum. Tertium *caloris* (subintellige p. n. potius quàm naturalis, licet & hic imminutus sit) habetur *absentia* ex eò, quod partium in œdemate sensibilis deficit irritatio, spirituum ac sangvinis uberiolem ad partem affluxum, à quò in Inflammatione aliàs & Erysipelate p. n. dependet calor, determinans. Quartò denique *dolor* observatur *nullus* ob eandem irritationem absentem, in vellicatione quippe potius, quàm in solutione continui, consistere doloris essentiam sufficienter demonstrat *Borellus de Motu Animal. Part. 2. Cap. 18.* Aut si exilis nonnunquam combinetur dolor, tensivus saltem is est à serò poros replente ac fibras non nisi pondere vellicante enatus.

§ 17.

Differentiæ Oedematis pauciores considerari merentur : Primò ratione magnitudinis, quâ œdema in locò affectò sese extendit, aliud circumscriptum est, quod minùs occupat spatium ; aliud diffusum, quod per majus sub tumoris œdematosi diffunditur nomine. Hinc originis intuitu, Oedema vel primarium existit, vel secundarium ; quorum illud alium non æque morbum sequitur, ac hoc, quod ab aliò dependet, v. g. Phthisi, Hydrope &c. Tum respectu temporis, Oedema recens aliud, aliud inveteratum occurrit. His demùm Autorum nonnulli v. g. *Barbette Chirurg. p. m. 99.* aliud discrimen addunt à qualitate causæ petiti, quò Oedema aut perfectum aut imperfectum, & hoc rursùs vel phlegmonodes, vel erysipelatodes, vel scirrholes esse, pronunciant ; verùm cum œdema ipsis imperfectum dictum sub definitione verâ haud comprehendatur, differentia ista negligenda potius esse videtur, quàm pluribus enodanda.

In *Signorum Diagnosticorum* censum venientibus ipsis sensibilibus œdematis qualitatibus §. 16. evolutis, non est, cur ad *Prognosin* pergere cessem. *Ratione eventûs* : Oedema aliud periculosum est, aliud periculô vacat : periculosum est, quod à periculosò dependet morbô, v. g. hydrope, phthisi &c. periculô autem vacat id, quod primarium est, aut saltem secundarium tale, morbum quod minùs periculosum insequitur, v. g. Luxationes, vulnera &c. In genere aliàs œdema recens faciliùs sui admittit Curationem, quàm inveteratum, ceu eandem sæpiùs penitùs eludens. *Ratione temporis* : Oedema diu satis, tanquam morbus chronicus, perdurare solet, ita ut, si minùs resolvatur, *Guillemeau aux Oevres de Chirurgie* p. 535. quinquaginta definiat dies, antequam suppuretur. *Ratione quippe modi eventûs*, hic, modò œdema sit legitimum, per resolutionem semper contingere observatur : ubi verò in imperfectum forsan degeneret, v. g. phlegmonodes, vix nisi per suppurationem terminatur. Si deniq; durum ac dolorosum evadat œdema mctum subesse, ne in Scirrhum transmigret, indicat *VViseman loc. cit.*

Caput II.

PRACTICUM.

§. 1.

IN Oedematis Curatione circumspiciendum ante omnia, an primarium hoc fuerit, an secundarium ; secundarium enim si affligat, omnis in ejus remotione conatus, nisi & ipse morbus primarius removeatur, erit frustraneus. Pro primariô autem feliciter extirpandô triplici *Indicationi* in genere, *Curatorie* scilicet, *Præservatorie ac Vitali* venit satisfaciendum. In *Curatoriâ*, quæ causam continentem respicit, adeoq; circa tumorem ipsum auferendum versatur, crassiores feri particulas in partis affectæ poris coacervatas esse tollendas, præcipitur.

§. 2.

Duplex autem deprehenditur via, quâ ejusmodi âmotio suscipi potest, ordinaria alia, alia extraordinaria. Per viam ordinariam

riam serum stagnans removetur admovendò ea, quæ decentem ipsi, quò vasa denuò sua revehentia subintrare suumque ibi circum repetere possit, conciliant fluxibilitatem. Diaphoretica præter interna mox § 8. depromenda, præstant hoc imprimis Topica extrinsecùs tumori applicita, talia videlicet, quæ ratione substantiæ farine plus minùs acris, quâ pollent, dum stagnantes feri moleculas crassiores comminuunt, comminuendòque veluti resolvunt, Discutientia plerumque audiunt.

§. 3.

Discutientia ejusmodi Pharmacia suggerit varia sub consistentiâ vel humidâ, vel siccâ, vel mediâ denique, in usum trahenda. Humida quæ adhibentur sunt primò variorum Simplicium, e. g. Rad. Bryon. Helen. Herb. Absinth. Rorismar. Puleg. Origan. Hyssop. Lupul. Fl. Chamamill. Hyper. Bacc. Laur. Juniper. &c. aut cum ∇ simpl. aut c. vino parata Decocta, calidè loco affecto, vel lotionis, vel fomenti vice, prout commodum magis videbitur, applicanda. Hinc olea habentur & Balsama, v. g. oleum laurin. cer. mastichin. &c. Balsam. Peruvian. it. Balsam. Δ tam vulgaris, quàm γ ü. à *Collectaneis Chymicis Leidensibus* t. 31. descriptum. Omnibus tamen hisce paria tandem, si non superiora, ex fluidis observantur lixivium cum calce vivâ, \ominus ∇ i, it. cineribus vitis, quercus, fagi &c. ad imitationem *Plateri Prax. tom. 3. p. 297.* confecta, aliquali Sp. V. additione magis nobilitanda.

§. 4.

Sicca verò sub fomentorum siccorum titulo in auxilium vocantur tam Vegetabilia, modò §. 3. recensita, quàm animalium quorundam stercorea, e. g. bovin. ovill columb. &c. ita quidem, ut vel immediatè admoveantur cuti, vel sacco priùs inclusa. Fatendum tamen operationes ejusmodi siccorum medicaminum, convenienti quia fluido, cum quo magis penetrare queant, destituuntur, vix adeò notabiles esse posse, nisi sacculi forsan eum saltem in finem usurpentur, ut calidi emplastris v. g. superimpositi horum caloris ratione promoveant aëtivitatem.

§. 5.

Convenientiùs proin eadem ingredientia l. a. in Cataplasmatibus rediguntur consistentiam; Cataplasmata enim sunt & Emplastra, quæ

quæ mediâ demum humida inter & sicca fruuntur texturâ. Ex Emplastis autem proficua sunt : Emplast. Oxycroc. Dia Δ . Diaphoret. Minsicht. ad Hydrop. August. de Galban. Crocat. Mins. &c. oleo præsertim si quodam v. g. ♀ . lign. quajac. laurin. &c. antea fuerint malaxata. Ordinariò equidem Discutientia hucusque descripta in principio ac incremento œdematis cum Repellentibus dictis jubentur jungi, verùm, cùm sola Discutientia illo quoque tempore proposito exactè respondeant scopo, Repellentia penitus omittere placuit. Interim quò Topica ipsa externa operentur citius, non inconsultum erit convenientes ipsis, si affecta ferat pars, desuper applicare Deligationes, & comprimendo, & calorem partis intendendo adeò præstantes, ut *WViseman in the severall Chirurgicall Treatises. p. 83.* absque his nil magni momenti in tumorum pituitosorum curatione posse perfici pronunciet proptereaque tibialia, manicas, & Chirothecas, quæ de die in diem stringantur firmissime, commendet.

§. 6.

Sed per extraordinariam magis viam serum educitur tunc, quando medicamina modò lustrata & adhibita faustus effectus excipit nullus : tùm enim è Chirurgia Scarificationes in subsidium ducendæ eaque, cùm serum educendum crassius, *κατὰ συρμόν* potius seu per tractum & cæsim, quàm *κατὰ πληγὴν* s. verberatim & punctim, instituendæ; attendendo unâ, an Oedema superficiale magis fuerit, an profundum, quò incisuræ pariter vel superficialiter, vel profundè infligantur cuti.

§. 7.

In Præservatoriâ porrò Indicatione, quæ circa Antecedentem causam occupata est, & mox unâcum Curatoriâ hic consulenda, Serum vel abundans imminuendum, vel crassius incidendum atque eliminandum esse, Ventriculi it. digestionis plus minus læsæ succurrendum, ostenditur. Ut itaque seri, si adsit, tollatur copia, Evacuantiâ universalis, speciatim Cathartica, Diaphoretica & Diuretica conducunt. Ex Catharticis inserviunt ea, quæ Phlegmagoga & Hydragoga vulgò nuncupantur : nempe è Vegetabilibus Rad. Jalapp. Bryon. Herb. Soldanell. Asar. Pulp. Colocynth. Sem. Cartham. Agaricus, Gumm. *c. de Peru &c. Ex Mineralibus verò ♀ dulcis præstò est, it. Pilul. *Jares à Dn. Boyle of the Usefulnessse of natural*

*Philosophy Tom. 2. p. 110. adeò laudatæ & p. 308. descriptæ: quibus
§. vit. quoque poterit addi. c. dupl. vel tripl. ¶ Si prius fixatus ad
eum modum, quem Carol. de Maetz in Prodrom. Chym. Ration.
p. 28. edocet.*

§. 8.

Diaphoretica verò inter ea feligenda veniunt, quæ naturæ sunt
⊖inæ volat. simplicia non minùs, quàm præparata, v. g. Rad. An-
gel. Chin. Card. bened. Helen. Sarsapar. Levist. Herb. Fumar. Salv.
Rut. Card. bened. Origan. Rorismar. Thym. Lign. Sassafr. Junip. Gua-
jac. &c. Sp. ⊖ * c. simpl. & aromatizatus, e. g. anifat. caryophyll. &c.
it. Sp. & ⊖ vol. C. C. sangvin. hum. &c. quæ singula serum crassius æq̃
incidendo ac abundans per diaphoresin ejiciendo non absque suc-
cessu operantur.

§. 9.

Quinimò pleraque ex hisce diaphoreticis, si neglectâ sudoris
curâ usurpantur, egregiâ serum abundans per urinam evacuandi
pollent virtute; quibus nihilominùs diureticum in scopum adjici
adhuc poterunt ea omnia, quæ aliàs in Hydrope diuresin ciere lau-
dantur: v. g. ex Simplicibus Rad. Bardan. Rusc. Fœnicul. Asparag.
Gramin. Herb. Fœnicul. Ap. Aneth. Petroselin. Bacc. Juniper. Fru-
ctus Alkekeng. Sem. Dauc. &c. ex præparatis verò Spiritus aperitiv.
Penot. Sp. ⊖ & ⊕ præsertim Sp. V. ritè dulcificati, it. Sp. mileped.
⊖ volat. succin. ⊖ genist. stipid. fabar. &c.

§. 10.

An V. Sonem autem Evacuantibus recensitis semper præmitte-
re sit consultum, jure meritòque hæreo. *Thevenin* equidem *des Tu-
meurs p. m. 250.* magnum sangvinis missioni etiam repetitæ in nostrò
affectu attribuit effectum; ast, cùm rationes ejus tanti haud videan-
tur momenti, quæ indifferentem V. Sonis hic usum nobis, in frigidiori
præprimis climate viventibus, valeant persuadere, vereor ne Au-
tor sibi, tanquàm Chirurgo, magis forsan, quàm ægroto genero-
so tali consulat remedio. Quod enim aliquâ sangvinis parte de-
tractâ calorem naturalem faciliùs per vasa distribui dicitur, vix nisi
plethora præsentè habet locum, adeoque & V. Sonem tunc saltem,
quando Plethora juncta maximè urget, instituere convenit.

§. 11.

§. 11.

Hinc quò serum crassius comminuat, partim \ominus sa, v. g. \ominus *c. ♀ . ♁ at. Crystall. ♀ . Arcan. duplic. it. liquor terræ fol. ♀ &c. partim \ominus ino. ♁ ea, e. g. Rad. Ari. Gentian. Imperat. Herb. Menth. Cinam. Caryophyll. Zingib. Piper. Essent. absinth. centaur. min. &c. it. Tinct. ♀ . simpl. & composit. &c. sive sola, sive invicem commista usurpentur, multum præbent præsidii. Salsa quippe remedia, præterquam quod pituitosas in primis viis cruditates serumque in Mâ Sâ crassius attenuent, & hoc commodi præstant, ut comminutas unâ Mæ Sæ. particulas easque inutiles ac è corpore proscribendas per diuresin blandè eliminent. Salinosulphurea verò præter eundem comminutionis effectum, Ventriculi quoque digestionis plus minùs læsæ optimè simul prospiciunt, eamque si ad pituitosam vergat cruditatem corrigunt.

§. 12.

Etenim si acida Ventriculi nonnunquam combinetur cruditas, à quâ feri eatenus dependere potest crassities, quatenus chylus sapore simili plus minùs infectus ubi commiscetur sero, hoc in coagulum facillimè modò eodem cogit, ac spiritum v. g. \ominus is talem in extra vasatò sero edere effectum observamus: tunc eorum medicaminum, quæ acidum corrigunt, expetendum auxilium, sive hæc terrea sint acidum in primis viis absorbentia, v. g. ocul. 69. lap. percar. mandib. luc. pisc. C. C. corall. &c. sive \ominus ia alcalia acidi texturam invertentia, tam fixa, uti \ominus absinth. centaur. min. ♀ . &c. quam volatilia, e. g. Spirit. lumbricor. terrestr. per putrefactionem paratus. &c.

§. 13.

Sola Indicatio Vitalis breviter adhuc superest consideranda, ad virium conservationem Diæta tali, qua antecedenti causæ nullum accrescit incrementum, collimans: in hac proin præscribenda eò minus exigitur laboris, quò magis nocivus sex rerum nonnaturalium usus è Cap. 1. §. 14. jamdum patuit. Quo intuitu Aer calidus feligatur & siccus; Alimenta parciori capiantur manu & concoctu faciliora, it. aromatibus ritè condita; Quietis ac Somno indulgeatur moderatè; cura detur sedulò, quò excernenda excernantur & retinenda retineantur; tandem evitetur tristitia, & lætitia potiùs exulet animus,

Atque hæc de Cura Oedematis perfecti & per resolutionem terminantis impræsentiarum annotasse satis est, quomodo enim œdemati, si durum evadat, emollientibus, quæ inter gummata primatum ducunt, succurri debeat, item quomodo œdema, ubi in imperfectum degenerarit, v. g. phlemonodes &c, sit tractandum, sicco hac vice præterire lubet pede properanti ad

F I N E M.

